SIMONIS STAROVOLSCI ACCESSVS,

AD

IVRIS VTRIVSQ. cognitionem.

DIVISVS

In quatuor breuissimos Tractatus,

QVORVM

Primus est, de Iure in communi.
Secundus de Iustitia & Iniustit.
Tertius de Iure Ciuili.
Quartus de Iure Canonico.

Primùm Romæ, Typis Vaticanis, M.DC.XXXVIII.
Deinde Cracouiæ, Typis Matthiæ Andreouiensis,
A. D. M, DC XXXIV.

Superiorum permissu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro sacri Palatii Apostolici.

A. Torniellus Vicesg.

PErlegi hunc librum, & nihil reperi quod vel bonis moribus, vel religioni aduersetur; ideo poterit imprimi. In fidem hac die 2. Nouembris. 1633. Romæ, subscripsi.

Angelus Lucianus I. V. D. in Gymnasio almæ Vrbis Pontificij Iuris Professor primarius, manu propria.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Ord. Præd. Sacri Palatii Apost. Mag.

ILLV-

Illustrissimo, et Excellentissimo Domino

PETRO POTOCKI, PALATINIDÆ BRASLAVIENSI.

SIMON STAROVOLSCIVS S.

QVAMVIS Iura & Statuta nostra Polonica, Illustriss: Dńe, maximè differant, à legibus aliarum gentium, quæ olim Romanis seruierunt, aut nunc Romanorum sancitis reguntur; nihilominus tamen omnium legum nostrarum primordia; veluti è fonte inexhausto, à Iure Communi, maiores nostri desumpserunt: quique in patria peregrinus non est, deriuationem earum inde, & cum reliquorum Europæ populorum legibus similitudi-

litudi-

litudinem, facilè animaduertet. Ac proinde tibi, bonarum literarum studijs dedito, adq; Patriæ suæ decus nato, præcognoscenda sunt primò, communia, quibus orbis Christianus regitur, iura, antequam ad eas, sub quibus natus es, Poloniæ leges euoluendas, & more maiorũ tuorũ administrãdas custodiendasq; accedas. Scis namq; consuetudinẽ patriam, in disquirendis eorũ, qui è puluere Scolastico ad Rẽpublicã accedunt, et primùm in lucẽ prodeunt, ingenijs: primò in conuentibus prouincialibus nobilitatis, sententiæ ab illis, in negotijs tunc Reipublicæ à Rege propositis quæruntur: deinde, ad causas totius Regni (si optimũ fructum studiorum suorum monstrauerint) in iudicio Tribunali decidendas, iudices annui deputantur: tandem in legum peritia sic examinati, Legati municipales, seu Tribuni nobilitatis

bilitatis, ad Comitia generalia, è suis Satrapijs fiunt. Ibi, quidquid exercitationis in eloquendo, quicquid eruditionis in reliquis scientijs peregrinando acquisiuerunt, non cognatis modò, sed Principi ipsi, sed Patriæ vniuersæ declarare debent. Siq́ iudicio sapientum probati fuerint, ad vrbium deinde præfecturas, prouinciarumq́ perpetuam administrationem à Rege dimittuntur. Atque cum tempore demum, in Senatum, maioresq́ Reipublicæ curas, & honores, pro prudentiæ laude assumuntur. Sic è stirpe tua olim, Bernardus, Nicolaus, Ioannes, Iacobus, Andreas, Stephanusq́ Pater Tuus, illustres fuere in patria Palatini, Castellani, Vrbium & Prouinciarum Præsides. Sic innumeri alij, alijs Reipublicæ dignitatibus, è sanguine Potocio, decorati, cohortiũ ductores, legionum Tribuni, exerci-

tuum Legati. Sic hodie quoq; fratres & agnati tui, militari gloria celebres, varijsq; in Patria gradibus sublimes, sunt columna Podoliæ, decora Sarmatiæ. Quibus vt tu etiam par aliquando fias, æquè te togæ, ac sago militari aptare debes, optimè sciens Rempublicam ordinatam, non fortibus tantùm, sed & prudentibus ciuibus indigere semper. Nobilemq. in patria sua virum, non solùm armis illustrem, sed etiam legibus debere esse instructum, vt troque tempore, & bellorum & pacis, rectè possit ciuibus suis consulere. Antequam igitur ad vniuersalia legũ volumina progrediaris, hæc primùm principia Iuris, quæ tuo illustri nomini offerimus, diligenter perlege, & ex ijs tibi veluti accessum ad altiorem scientiæ contemplationem præpara; postmodum dein patrias leges, Statutaq; Polonica diligentissimè reuolue. Sic

scies,

ſcies, cum Deo bono, Equitem Polonum non ex armis tantùm, ſed ex literis etiam glorioſam ſibi immortalitatem comparare. Cui adipiſcendæ, te quoque meo voto, ſoſpitet DEVS.

CANDIDATIS IVRIS.

NObilissimam Iurium scientiã, qui adire cupitis, Nobiliss: iuuenes, ne in prolixitate legum, aut immensitate librorũ aberretis, hæc primum cõmunia principia prælegite, & methodo quam damus innixi, accessum vobis ad ipsius Iurisprudentię abdita parate. Non improbabitis consilium vbi diutius in hoc difficillimo studio immorabimini. Ordinem etenim in acquirenda scientia habere, & artis argumentum summariè cõplecti haud postremæ prorsus laudis est. Quia igitur Iuris studium solitudinem non amat, sed forum semper propositum habet, & turbam; ideo vos compendiari

pendiaria hac via in reliquis etiã iuuandos ſtatui, vt è ſcholis & vmbra, quantociùs ad rerum lucem actionemque prodire valeatis. Quaptopter vobis commẽtarios imprimis in Inſtitutiones dabo. Si modo, Deus mihi vitam; qui vos meo voto incolumes ſeruet, & duit vobis mentem, Diuini, humaniq́ue iuris intelligentem.

TRA.

ΠΡΟΣΦΩΝΙΣΙΣ

Ad

Nobilem & Generosum

SIMONEM STAROVOLSKI.

M. LAVRENTII ALPHONSI Karinski, Collegæ Min. Philosophicæ Facultatis Decani.

PErge STAROVOLSKI, Sanguinis per inclytum
Decus vetusti, clara symbola gloriæ
Cumulare auitæ, ditiori fænore:
Merita redonans Domui, & Almæ Patriæ,
Miratur in te enim grauem recentior
AEtas, parentum industriam fælicium:
In te beatam doctiores approbant
Viri indolem: queîs dulce satis est voluere
Tuos labores, pænitet nec ponere
Horas legendis: Temporibus haud posthumis
Viuax tui memoria senescet nominis:
Tu molliores rigidus in annos nimis,
Curâ iuuentam edace ambedere
Non desijsti, non potens somno putri
Torpere, & vngues ociatim arrodere,
Exercitâtam rebus ast in asperis

Seruare voluisti, remotioris orbitæ
Aeuo vigentem, proficuam & olim: nectare
Aristotelco saturo, in almo Atheneo
(Iagello struxit prouidus quod regio
Sumptu superbum, Sarmatæ fortissimo,
Iuuamen in pulchrum decusque gemmeum.)
Obire gentes placuit, oras visere
Reiectiores, & peregrinas poli
Plagas, grauesque itineris iniurias pati:
Non delicatiùs scelestis lusibus
Vt curiosos vanioribus oculos
Abundè pasceres, genium vel molliùs
Emasculatum perfidos inter greges
Mimorum aleres, esculetis melleis
Dulcis voluptæ; sed laboris masculi
Virtute constanti, grauem sapientiam
Cura fuit ardens, stabilis & conatuum
Contentio parare, libris viuere
Mentesque cordatas, Virorum illustrium
Famâ, potentium arte, grauium moribus
Inconscijs inquirere. Fuit gratiùs
Ad immerentem pulpitum, sudoribus
Macerare corpus, imis cogitatibus
Animam fatigare: fuit & iucundiùs
Inter silentes parietes Doctoribus
Mutis frui, didactra multa voluere:
Non pauca scribere, peruicaci tædio
Fracto: quàm oberrare plateas, stupescere ad
Doctæ manus artes in altis ædium
Molibus & æstimare sumptus prodigos;
Vmbrosæ aut platani, sub alto tegmine
Cytharistrias inter suàuem barbiton
Libare, fontiumque riuatim leues
Crispantium radios suos ad murmura,
Diffibulatos illecebris perditè

Sensus

Senſus amæminitate ſoluere molliùs.
Ergo beatis ô beate gratijs
His macte pulchris STAROVOLSKI dotibus
Confide nulla temporis caries tibi
Nocebit edax: Famâ perpetim tuis
Vetus fauebit lucubrationibus
Ibunt in æuum, ibunt labores feruidi
Tui recenſq́ue tradet annus poſteris
Virtutis almæ Symbolum: ibit gnomon hîc
Regulaq́ue Iuſtitiæ ratæ, dulceſcet &
Memoria cunctis grata mentibus tui.

Ad

ΠΑΡΑΙΝΕΤΙΚΟΝ
Ad Studiosum Iuris
CANDIDATVM.

M. IOANNIS CYNERSKI RACHTAMOVÎ COLL. MIN. ORDIN. IN ACAD. CRAC. ELOQVENT. PROFESSORIS.

QVI desiderio tenaciori
Ardes Iuris amœnioris, et cui
Arrident elemēta iusti et æqui,
Et Fas, atq; piū placet serenū,
Hunc quanquam exiguum foue libellum
Sed fructu solidum foue libellū:
STÆROVOLSCIVS ille quem disertus

Finxit

Finxit pollice diligentiori:
Starouolſcius eruditionis
Præſtans ingenioſioris hæres:
Starouolſcius arbiter Sororũ,
Quas Parnaſſus alit fouetq́; amænus:
Starouolſcius inclytæ magiſter
Virtutis, niueæq́; veritatis:
Starouolſcius aureum potentis
Phœbi præſidiũ, decusq́; phœbi:
Starouolſcius inuidendus altæ
Ciuis Sarmatiæ, labore fortis:
Starouolſcius expeditus omni
Selectis genio imperare Muſis.
Seu docti numeros Maronis ambis,
Et docti numeros dabit Maronis:

Seu

Seu Suadæ cupis Atticam medullam
Et Suadæ exprimet Atticam medullam:
Annales repetis vetustiores?
Annales referet vetustiores:
Seu cultas pietatis expetitæ
Poscis diuitias? et has habebis.
Quæris Cōsiliū inter optimates,
Acres quo Patriæ arceantur hostes?
Nostris ne toties ferox Satelles
Agros depopuletur, imbuatq;
Ferrum sanguine? iam hoc ad vmbilicum
Deduxit facilē, fidelis author.
Nullam sentiet huius in libellis
Ardens ingenium esuritionem:

Staro-

Starouolſcius ô politioris
(Docti dicite, dicite ô Poloni
Doctū dicite, dicite ob Polonū)
Viuat prouida ſeculi voluptas,
Ardor, delitiumq́; Gratiarum,
Muſarumq́; decus latiniorum,
Muſarumq́; decus Poloni-
carum.
JVSTI-principis et NIANI
in oris
Qui tandem Latijs latet, me-
dullam
Expectate Poloni: & hæc pla-
cebit.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS De Iure in Genere.

CAPVT I.

De origine & progressu Iuris.

IVRIS ROMAni, vt varia fuerunt initia; ſic & varii progreſſus, ſecundum mutationem temporum, & administrationis Reipublicæ. Et prima ſanè vrbis adminiſtratio, Regia fuit, legeſq; plurimæ priſcis illis tempori-

poribus accomodæ, à Regibus latæ
fuerunt. Creatis verò Consulibus,
iuris statuendi potestas in Senatum
translata fuit, permissa reis prouoca-
tione ad plebem, quæ sibi Tribunos
creauerat, quos Consulibus oppone-
ret. Atque inde *Senatus consulta* ac
Plebiscita profluxere. Quumq; post
magnæ sæpè contentiones inter ple-
bem, patresque, pro legibus ferendis
essent, placuit leges externas habere:
atq; ex eo Decemuiri creati fuerunt,
qui allatas leges Græcas, in decem ta
bulis descriptas publicè proposue-
runt: additis duabus tabulis, quę le-
ges Romanorum proprias contina
bant. Imperio demum ad Cæsare
deuoluto, Ius Ciuile *Principum cō-
stitutionibus ac Rescriptis* in eam mo
lem excreuerat, vt omnibus legen
dis, vix ipsa hominis vita sufficeret

Iustinia

Iustinianus itaq; huic difficultati remedium positurus, anno Imperii sui secundo, totam Iurisprudentiam Romanorum & leges, in certum compendium redigi iussit; & quicquid, sub Regibus aut Consulibus Statutũ fuit, quod congruens regendo Imperio videbatur, id totum in quinquaginta libros *Digestorum seu Pandectorum*, inutilibus reiectis, colligi mandauit. Quicquid verò sub Imperatoribus latum erat, hoc, vsq; ad têpora sua, in vnum *Codicem* libris duodecim constantem digessit, ex vtrisque autem hisce legibus ac libris, *Institutiones*, quæ totius iuris præcepta & præcipua capita continerent, libris quatuor conscribi iussit. Addidit & rationẽ docendi discendiq; iura, atq; in eã rem Professores constituit, duos Cõstantinopoli, duos Beryti, quatuor

Romæ, qui publicè profiterentur. Cum autem Italia à barbaris oppressa esset, per annos quingentos iuris professio delituit penitùs, nec primũ fuit instaurata, nisi sub Lothario Imperatore, ab Irnerio Bononiæ eam publicè profitente. Quicquid verò triginta octo annis Imperii sui legum aut constitutionũ Iustinianus fecit, has omnes in vnũ volumen redactas *Nouellas* (quod indies nouis emergẽtibus negotiis fuerint latæ) seu *Authenticas* appellauit. Fuerunt etiam à subsequentibus Imperatoribus variȩ Constitutiones latæ, quas similiter diuersi Iurisperiti, in epitomẽ iuris collegerunt, ex quibus maximè *Feudorum*, de conseruandis familiis, leges fluxerunt.

CAP.

CAPVT II.

De Definitione atq; Diuisione Iuris.

IVS in communi sumptum, *est ordinatio quædam dirigens ad bonū.* Dictum autem est ius à iussu, quasi iussum contineat. Appellaturq; interdum Lex, interdum Constitutio, Statutum, Sanctio, Præceptū, Iussus, Ordinatio, & in genus alia, per quæ verba idem fere significatur.

Diuiditur autem Ius in *Diuinum & Humanum.*

DIVINVM *est Diuinæ rationis ad bonum ordinatio.*

HVMANVM *est humanæ rationis ad bonum ordinatio.*

Et *Diuinum* est duplex. Aliud vnicuiq; rei ab exordio creationis in-

ditum natura. Aliud hominibus tātùm in tempore positum à Deo.

Humanum quoque similiter duplex. Aliud commune omnibus gētibus. Aliud peculiare alicui Ciuitati, aut Populo.

Ius Diuinum naturale, *est Diuinæ rationis ordinatio, rebus omnibus in earum creatione indita, ad vniuersi perfectionem, & conseruationem.* Et est duplex. Aliud hominibus commune cum brutis. Aliud proprium solummodo ipsis hominibus.

Ius Diuinum Positiuum, *est ordinatio diuinitus hominibus posita & reuelata dirigens eos ad æternam beatitudinem.* In veteri quidem testamento per Moysem: In nouo autem per Christum.

Ius Humanum commune omnibus gentibus, *est ordinatio singularū gentium*

gentium naturali ratione cōstituta ad conseruādum genus humanum, & prouidendum necessitatibus humanis. vt sunt Cōtractus ferè omnes, sine quibus humana societas conseruari non potest.

Ius verò Humanum peculiare alicui populo, *est propria alicuius vniuersitatis, vel eius, qui in illa principatum obtineat, ordinatio, ad eiusdem felicitatem atque incolumitatem.*

CAPVT III.

De Iure Naturali.

IVS naturale diuinitus hominibus inditum duplex esse diximus, aliud commune cum brutis, aliud hominibus proprium. Illud ius naturale *Primæuum* dicitur. Istud Ius naturale *Secundarium.*

PRIMÆVVM *est quod natura omnia animalia docuit.* vel vt apertius dicatur, *est naturalis rerum animatarum instinctus, ad sui ipsius conseruationem, suæque speciei propagationem,* vt cibum & potum capere, motum & quietem appetere, seipsum ab iniuriis, & à cunctis, quæ ledere possint, tueri. Filios procreare & educare

SECVNDARIVM, vel etiã Gentium Primæuum, *est humanæ rationis*

tionis dictamen ad virtutem, ad bonum, & felicitatem. Et hoc teste Cicerone, vbiq; & apud omnes vnum est, atque idem sempiternum & immutabile, vt Religio erga Deum veluti primam causam. Amor in parentes, & patriam. Obedientia erga maiores, Magistratus & Principes. Amor virtutum & detestatio vitiorum omnium. Fidei inuiolabilis obseruãtia. Atque demum tria illa præcepta. *Honeste viuere. Alterum non lædere. Ius suum vnicuiq; tribuere.*

Quia verò duobus modis seruatur vniuersitas cuiuscunque gentis aut populi, *vel cunctis*, qui in ea continentur prospiciendo, *vel singulis*, ex quibus ipsa Vniuersitas conficitur, consulendo; ideo hoc idem Ius Ciuile in duas scinditur partes. In *Publicum* & *Priuatum.* quod quidem v-

trumque, tum solùm modò vim legis habet, cùm à recto, & à naturali ratione non aberrat: quotiescunque enim in aliquo à lege naturali secedit, inm non lex, sed legis est corruptio.

CAPVT IV.

De publico atq; Priuato Iure.

PVBLICVM IVS *est illa ciuitatis ordinatio, quæ ad statum Reipublicæ pertinet, ac præcipuè eiusdem conseruationem respicit, mox verò singulorum commodum.* Republica enim bene se habente, priuati eius ciues quiete ac beatè viuunt.

Consistit ea potissimum in creandis Magistratibus, in præscribendo eorum officio, in legibus rogandis & abrogandis, in sacris faciendis, in sacerdotibus creandis, in muneribus iniungendis, inque aliis plurimis quę bonum regimen concernunt, introducendis vel immutandis.

PRIVATVM IVS *est ciuilis or-*

dinatio

dinatio ad singulorum præcipuè vtilitatem pertinens, deinde etiam ad optimum, vniuersæ ciuitatis statum. Si enim ciues singuli incolumitate & felicitate fruantur, ipsam quoque ciuitatem incolumem ac felicem esse cõsequens erit. Cum nihil aliud sit ciuitas, quam singulorum ciuium collectio.

Vtrumq; autem istud Ius, tam Publicum quam Priuatum; à iure naturali deducitur, *vel immediate sicut conclusiones ex principijs*, vt si humano iure caueatur fures, sacrilegos in Republica esse puniendos, hoc deriuatur per modum Conclusionis ex illo naturæ principio. Nocentes homines puniendos esse. Docente enim naturali ratione, fures, sacrilegos, & rebelles noxios esse, statim necessariò sequitur conclusio, pœnas illis

illis esse infligendas. *Vel intercedente aliqua congrua determinatione, quæ proportionem habeat aliquorum communium ad certam speciem*, vt si humana lege caueatur, prædictos fures, sacrilegos, ac rebelles pœna capitis esse plectendos, hæc pœna dicitur esse determinatio quædam illius communis principii ad certam supplicii speciem, & vocatur ius positiuum, quasi ex sola lege humana vigorem capiens. Atque sic determinationes eiusmodi factæ, aut in vno loco seruantur, vbi fuerunt determinatæ, pro incolarum opportunitate, & vocantur VERNACVLÆ LEGES, vt est lex illa de filiis emãcipatis ab hæreditate intestati patris excludendis: & illa, prohibens donationem inter virum & vxorem, quæ Romę tantum cognitæ fuerunt.

aut ali-

aut alibi conditæ & ad nos importatæ, & vocantur ADVENTITIÆ LEGES vt sunt Atheniensium sanctiones, aut Lacedęmoniorum consuetudines ad Romanam Vrbem translatæ, & in decem tabulas dispositæ.

CAPVT V.

De Iure ſcripto, & non ſcripto.

OMnes humanæ leges, à lege naturali, vel immediate ſicut concluſiones ex principiis deductæ, vel per determinationes communiũ ad certam ſpeciem ſancitæ; aut initio ex ſolo ciuium arbitratu ſemel, iterum, atque iterum, & diuturnis moribus obſeruantæ, vim legis paulatim habere cæperunt, quæ *Iura non ſcripta, ſeu conſuetudines* appellantur; aut principio arbitrio totius populi, aut alterius, cuius ea poteſtas fuerit, vnico tantum actu obſeruandæ propoſitæ ſunt, quæ *Iura ſcripta* nuncupantur.

IVS igitur NON SCRIPTVM ſeu

seu CONSVETVDO *est, quod tacitus populi consensus diuturnis vtentium moribus comprobauit, ad publicum & commune eiusdem populi bonum.*

IVS verò SCRIPTVM *est, ciuilis ad commune bonum ordinatio, quæ ab habente potestatem iuris condendi emanans in scriptum referri solet, vt, facilius populo innotescat.* Et huius præcipuè partes sunt sex. Lex scilicet, Plebiscitum, Senatus consultum, Magistratuum edicta, Principum placita, atque demum Responsa Prudentum.

CAP.

CAPUT VI.

De sex Iuris scripti partibus.

PRima Iuris scripti pars vocatur LEX, quod populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule, inſtituebat.

Secunda PLEBISCITVM, quod plebs plebeio Magiſtratu interrogante, veluti Tribuno, conſtituebat.

Tertia SENATVS CONSVLTVM quod ſolus Senatus iubebat, aut conſtituebat.

Quarta PRÆTORVM EDICTA, id eſt Ordinationes, quæ à Magiſtratibus proponebantur ſui officii tempore duraturæ: quæ à ſucceſſoribus in album tranſlatæ, paulatim vim Iuris habere cæperunt, & poſtea

à Saluio

à Saluio Iuliano in vnum collectæ, ab Adriano Imperatore pro legibus confirmatæ.

Quinta PRINCIPVM PLACITA seu generales Imperatorum constitutiones: vel etiam particularia responsa, super alicuius dubii Iuris interpretatione reddita. Leges enim interpretari, vti rem solo imperio dignam sibi soli reseruarunt, cum ea tempestate ipsis tantùm leges condere liberum esset.

Sexta & vltima RESPONSA PRVDENTVM. antiquitus enim erant Pontificum, & aliorum iuris peritorum receptæ interpretationes. Post Cæsares verò, sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere.

Et ex istis sex iuris partibus, vniuersum constat Romanum ius, quod

nos

nos Corpus Ciuile appellamus, à Triboniano Theophilo & Dorotheo viris clarißimis iussu Iustiniani Imperatoris compositum.

Caput Vltimum.

De Fine, & Obiecto Iuris.

FINIS ROMANI IVRIS conseruatio totius Romani Imperii in vniuersum.

CAVSA EFFICIENS tacitus populi consensus diuturnis moribus comprobatus; vel expressus eiusdem populi, & pro temporum varietate etiam plebis, Senatus, Prætorum, & Principis, eiusque authoritate etiam Iure consultorum, de iure respondendi facultatem habentium.

SVBIECTVM verò circa quod versatur, sunt *hominum facta*, Romanum enim ius circa hominum sibi subiectorum facta disponit ad bonum & æquum Magistratus authoritate conseruandum.

Hominum autem actiones, & facta duo potissimum respiciunt: *vel rerum dominia, vel personarum obligationes.* Primum igitur in acquirendo, aut in conseruando, aut in minuendo consistit. Vel enim hoc agitur quemadmodum quid cuiusque fiat: vel quemadmodum quis rem suam, aut ius suum conseruet: vel quomodo alienet, seu amittat. Secundum verò personas respicit, quæ obligari, & quibus obligari debent.

Et quia in vtroq; aliquo est opus remedio, quo quis rem suam vendicet, vel quod sibi ab aliquo debetur, superioris authoritate consequatur, & hæc remedia *Actiones* appellantur, quæ nihil aliud sunt, quam *Ius rem suam vindicandi, vel quod sibi debetur in iudicio persequendi.* propterea primo Caius, deinde Iustinia-

nus dixerunt. *Omne ius quo vtimur, vel ad personas pertinere, vel ad res, vel ad actiones.*

FORMA denique IVRIS, quā Modestinus etiam virtutem appellat, est *imperare, vetare, permittere, punire*: quia quandocumque iura disponunt, necessariò vnum ex his efficiunt.

Qui igitur Iuris cognitionem quæritant, ac boni & æqui notitiam profitentur, æquum ab iniquo separantes, & licitum ab illicito discernentes IVRISPRVDENTES appellantur, qui veram, non simulatam Philosophiam affectare dicuntur. Sicut ipsa tum Diuini, tum humani iuris notitia IVRISPRVDENTIA dicitur, cum humanarum & diuinarum rerum cognitionem contineat.

Et hæc de Iure, tam diuino, quam huma-

humano: tum communi, tum particulari: publico, vel priuato: sine scriptis, vel in scriptis & de origine eius breuiter hoc tractatu dixisse sufficiat.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS.

De Iuſtitia & Iniuſtitia.

CAPVT I.

De Definitione Iuſtitiæ & Iniuſtitiæ.

QVI ſecundum prę dictas Naturæ, Dei & Hominum ordinationes viuunt, vti legibus & iuri obtemperantes, iuſta facere, & iuſta velle dicuntur.

IVSTVM enim eſt, *quod ſecun-*

dum Iura gestum est, & ii qui volentes ac libentes iusta gerunt IVSTI meritò appelantur: habitus verò, qui fit ex frequentatis actibus obtẽperandi Iuri, dicitur Iustitia. E contra.

INIVSTVM *est quod contra leges & Iura gestum est*, & hi tanquã iniusta gerentes INIVSTI appellantur: habitus verò, qui fit ex frequentatis actibus à iure auertendi & iniusta gerendi Iniustitia dicitur. Et ex his patet quod;

IVSTITIA *est habitus, quo homines apti sunt ad res iustas agendas, & quo iusta agunt, & volunt iusta.*

INIVSTITIA verò *est habitus, quo homines iniustas res agunt, resq; volunt iniustas.* Nam qui prædictis legibus & Iuri non obediunt, sed ab iis exorbitanc, iniusta facere, & iniusta velle dicuntur.

Ex his etiam innotescit *Iustitiam à iure, non Ius à iustitia deriuari*, & circa ius vti eius obiectum versari; illudq́. vti normam, regulam, & præceptum præsupponere, quod doceat & instruat, quid agendũ, quidue omittendum sit, vt in hominibus prædictæ regulæ frequenter obtemperantibus, huius virtutis habitus produci possit.

Ex quo necessariò sequitur *Iustitiam iure ipso posteriorem esse*, sicut iniustitia etiam est iniuria posterior. Iustum enim vel iniustum non esset, nec homines iusti, vel iniusti dici possent; nec iustitiæ, vel iniustitię habitus reperiretur, si ius aliquod nõ præcessisset, quia nihil esset, cui parere vel non parere quis posset, iuxta illud D. Pauli, *Si non fuisset lex, non fuisset peccatum.*

CAPVT II.

De diuisione Iustitiæ.

QVIA teste Aristotele & D. Thoma, ius tam Diuinum, quàm humanum, & tam naturale, quam positiuum, iubet viuere secundum rationem cuiuscumq; virtutis, & vetat viuere malo cuiuscumque vitii: & non solum præcipit, vt vnicuiq. reddatur Ius suum, quod est proprium iustitiæ, sed etiam præcipit ea gerere, quæ pertinent ad alias virtutes, puta ad virum fortem, vt non deserere locum in acie, non fugere, non abiicere arma; item ea, quæ sunt temperantis, vt non committere adulterium, non libidinari; & etiam quæ sunt mãsueti, vt non ferire alium, non dicere conuitia; & in cæteris itidem virtuti-

bus, atque vitiis, alia iubet, alia vetat ad bonum commune respiciens, ad quod lex omnis principaliter ordinatur. Ideo qui iuri & legi obtẽperat, duobus modis iustus dici potest: & è contra, qui ei aduersatur, duobus itidẽ modis iniustus. Ac proinde etiã habitus, qui fit ex frequentatis actibus parendi vel nõ parẽdi legibus, & sic iustitia, vel iniustitia duplex efficitur, prout resultat ex actibus vno vel altero respectu habitis. Nã qui priori respectu reddit vnicuiq; ius suum, ob illius vti singularis personæ vtilitatem, iustus erit iustitia particulari, quæ est propria & à cæteris distincta virtus. Qui verò legibus obtemperat posteriori respectu, quia puta ius suum cuique reddat, vel alias quascumque virtutes exerceat, non singulorum intuitu, sed ob commune bonum,

iustus

iustus erit iustitia generali. Et ex hoc respectu resultat prima iustitiæ diuisio, nempe vt alia sit *Generalis*, & alia *Particularis*.

CAPVT III.

De Generali Justitia.

GENERALIS IVSTITIA *est habitus omnium virtutum ex legum præscripto ad cōmune bonum.* Dicta autem Generalis, non quia sit veluti genus ad reliquas virtutes, sed quia est collectio quædam virtutum omnium, vt dicebat Hesiodus

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Dicitur quoque & *Legalis*, quia etiam ad legem pertinet ordinare in bonū commune, de omnibus quibuscumq; disponere, omnia vitia cohibere, omnium virtutum actus præcipere. Cum itaque eadem, quæ generalis iustitia exequitur, lex ipsa præcipiat, meritò etiā legalis appellata est, quia

quie-

quicquid à lege præcipitur, legale dici poteſt. Per eam enim homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune, vt explicat D. Thomas 1.2. *quæſt*. 58. *art*. 5. *in corpore ad finem*. E contra verò vitium huic virtuti contrarium.

GENERALIS INIVSTITIA dici poteſt, *tota vitij latitudo, ſeu collectio omnium vitiorum* Et quia per eam quis legibus aduerſatur, *Legalis iniuſtitia* eadem meritò appellari valet.

Proprium Generalis, vel Legalis iuſtitiæ eſt, ordinare & dirigere actus aliarum virtutum ad ſuum finem, videlicet ad bonum commune, vt charitas ordinat actus omnium virtutũ ad bonum diuinum. Ex quo patet, quod *Generalis iuſtitia non eſt eadẽ cum alijs virtutibus*. quia ſicut ſol tã-

quam causa vniuersalis alterat & immutat corpora, quæ ab ipso illuminantur, ita hæc generalis seu legalis iustitia, vt causa quædam vniuersalis, alterat & immutat finem aliarum virtutum, vt non intuitu boni particularis, sed boni communis, quisque agat. Efficit enim vt temperans à libidine abstineat, non eo respectu ne incontinentem se præbeat, vel alium offendat: sed ne commune bonum totius ciuitatis, cuius ille, vel alius pars esse dicitur, in aliquo perturbetur. Et in hoc potissimum differt, & per essentiam ab omni virtute, licet ipsa à Philosopho dicatur tota virtus. Quia sicut causa superior influens in inferiorem, & cum ea operans, non est eadem cum ipsa inferiori, vt sol non est idem cum igne, & charitas, quæ respicit bonum diuinum vt pro-

prium obiectum, & ordinat actus omnium virtutum ad Deum, non est eadem cum illis, sed quædam specialis virtus secundum suam essentiam: ita iustitia hæc generalis vim quandã infundens in alias virtutes, & cum eis operans ad bonum cõmune, non dicitur cum illis eadem, sed specialis est virtus, vt eleganter demonstrat D. Thomas, & cæteri post eum.

Ex eo autem dicitur tota virtus secundum Aristotelem, & eadem cum omni virtute, quia vnaquæque virtutum considerata, vt à iustitia generali vel legali imperatur, potest denominationem suscipere, vt generalis & legalis dicatur: quemadmodum omnis virtus secundum rationem, qua à charitate imperatur, teste Dominico Soto, charitas quodammodo dici potest.

Et quia *Generalis iustitia in Principe & Legalislatore architectonicè residet*, & ab eis potissimum interdicitur, qui omnia ad commune bonū, ex quo vniuersi populi felicitas contingit. disponere debent, non à subditis, quibus sufficit, si legibus obtēperent; nec refert qua intentione, an ob singulorum commodum, an ob commune bonum, cum illud vtroq; casu nihilominus sequatur, & ad amussim eadem Principis, & Legislatoris intentio impleatur. Propterea *Generalis iustitia non est Iuriuconsulti obiectum*, nec de ea à Iurisperitis agitur, nec illa ab Vlp. definitur, cū eorum munus sit subsidios tantùm instruere in legum obseruantia, nec curatur qua intentione id agant, vt iam dictum est.

CAP.

CAPVT IV.

De Iustitia particulari.

PArticularis iustitia inde dicitur, quia pars est præcedentis generalis iustitiæ. Illa enim vt diximus, versatur circa omnes virtutes, quatenus à lege præcipiuntur, & sic in commune bonum. Hæc verò circa vnam tantùm ex eis, quę in qualitate consistit, & in distribuendo vnicuique quod suum est.

IVSTITIA igitur PARTICVLARIS secundum Aristotelem *est, habitus electiuus reddendi vnicuiq; ius suum, vt singulari personæ, ob solam honestatem.*

Vel secundum D. Thomam, *est habitus secundum quem aliquis constanti, & perpetua voluntate ius suum vnicui-*

vnicuique tribuit.

Vel clarius secundum Vlpianum & Iustinianum, *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens.*

E contra INIVSTITIA PARTICVLARIS *est habitus electiuus non reddēdi alteri, præsertim vt singulari personæ ius suū, & appetēdi plus emolumēti, & minus damni, quā sibi debeatur, nullo simili habito respectu ad legis aliter præcipiētis transgreßionem.*

Proprium itaque Particularis Iustitiæ est, vt vnicuique quod suum est reddat, vel distribuat, nullo habito respectu ad legem id iubentem, nec ad commune bonum per se, sed ad ipsam æqualitatem, & quia id efficere honestum est, & sic ad singulorum vtilitatem. Hæc enim iustitia rectas efficit externas hominum acti

ones

ones, & res, quæ in vſum hominum veniunt, quatenus vnus homo ordinatur ad alterum.

Proprium verò particularis iniuſtiæ eſt, vt reddat plus vel minus alicui, quam ei debeatur, non vt legi aduerſetur, ſed quia illius pluris vel minoris ſit appetitor. Per hanc enim deformantur externæ hominum actiones, & res, quæ in vſum hominum veniunt, quatenus vnus homo ordinatur ad alterum.

Ex his colliguntur *differentiæ inter Generalem & Particularem iuſtitiam* quia illa verſatur circa omnes virtutes, ac proinde rectas efficit etiã eas, quæ ſunt ad ſeipſum, & ſic internos animi affectus, vt ſupra diximus. Hæc autem verſatur tantum circa ea, quæ ſpecialiter pertinent ad commutationem vitæ, & ſic dirigit tantùm

actiunes externas. Illa respicit obtẽperantiam legis, ac proinde commune bonum. Hæc verò ipsam datorum & acceptorum æqualitatem, ac proinde singulorum commodum. Illa est aggregatio quædam omnium virtutum, eas dirigens ad commune bonum, vt diximus. Hæc verò est vna ex illis virtutibus, quæ licet sui natura dirigatur ad bonum priuatum, imperata tamen ab illa dirigitur ad bonum commune, & fit generalis.

Et hinc patet *necessitas particularis iustitiæ*, quia cum illa generalis iustitia, non sit essentialiter omnis virtus, nec illa sola sufficiat, quoniã nec omnia præcipit, nec omnia vetat, sed de omnibus aliqua, eaque potissimum quæ ad pacem & concordiam ciuium facere solent, & sic quæ respiciunt commune bonum: ideo oportuit,

tuit, præter eam, quæ ordinat homi-
nem immediatè ad commune bonũ,
esse alias virtutes, quæ absque legum
præscripto efficerent, vt homines cũ
hominibus priuatam vitam degentes,
virtutum opera ederent, à vitiis, & in-
iuriis abstinentes. Et quia hæc ordi-
natio fieri potuit vel ad se ipsum, vel
ad alteram singularem personam;
ideo sicut præter iustitiam legalem o-
portuit esse aliquas virtutes particu-
lares, quæ ordinarent homines in se
ipso, puta temperantiam, fortitudi-
nem, mansuetudinem: ita etiam præ-
ter iustitiam legalem, oportuit esse
particularem quandam iustitiam, quę
ordinaret hominẽ circa ea, quæ sunt
ad alterum, præsertim priuatam
personam, vt est iustitia hæc
Particularis.

CAP.

CAPVT V.

De Diuisione particularis Iustitiæ.

QVia singularis persona, cui per habitum particularis iustitiæ ius suum redditur, duobus modis refertur ad alterum, nempe vel vt pars ad partem, & sic vna singularis persona ad aliam, vel vt pars ad totum, & sic priuatus quilibet ad suam communitatem. Et hoc casu, vt sciatur quam qnisque in ea partem habeat: aliquando habetur ratio ad rem, vel operam, quam in eadem communitate posuit, non ad personarum conditionem, vel qualitatem: aliquandò habetur respectus ad qualitatem personarum, nulla rerum æstimatione habita: aliquando vtrumque respicitur, &

tur, & res, vel opera in communitate posita, & personarum qualitas perpenditur. Propterea ex respectu, qui adhibetur, & modo qui seruatur in reddendo vnicuique suum, & sic ex accidenti *iustitia particularis duplex efficitur*. Altera, in qua habetur ratio rei ad rem, non ad personam, siue reddatur ius inter priuatos ad inuicem, vt inter partem & partem, siue inter priuatos & cõmunitatem ipsã, vt inter partem & totum, ex quadam inter eos inuicem facta rerum commutatione, & hæc *Commutatiua* dicitur. Altera, in qua habetur ratio rei ad personam non ad rem: vel si ad rẽ, simul etiam & ad personam, dum quę sunt communitatis inter singulos de ea distribuuntur, iuxta singulorũ merita, & hæc appellatur *Distrubitiua*.

Et licet hæc etiam distributiua iu-

stitia,

stitia, si eius naturam subtilius perpendamus, videatur esse simpliciter æqualitas datorum & acceptorum, & semper supponat in iis, quibus fit distributio, merita erga Rempublicam si non præsentia, certè præterita, vel futura: præterita, vt quando nobilibus plura tribuuntur, quia habetur ratio ad merita maiorum: futura, vt quando Respublica ciuibns suis, viribus, opibus, vel virtute insignibus, à quibus plura se consecuturam confidit, plura confert, quasi sub spe futuri seruitii, anticipata stipendia. Quia alias cessantibus omnino meritis, cessaret debitum; & quod daretur, non ex iustitia, sed ex mera liberalitate manaret. Tamen particularem iustitiam partiendo, ideo diximus in distributiua haberi respectum rei ad personam, non rei ad rem, quia in ea

non attenduntur merita ſolum præſentia, pro quibus fit diſtributio, ſed præterita etiam vel futura, & multoties aliena, quæ non conſiderantur amplius, vt res, nec vt de genere meritorum, ſed vt qualitas iam perſonæ adhærens, quæ eius conditionem digniorem efficit; & ſatis perpenſa dicuntur, dum iuxta perſonarum qualitatem fit diſtributio, quod nihil eſt aliud, quam earumdem perſonarum merita perpendere. Et hoc pacto veriſsima eſt *diſtinctio Particularis Iuſtitiæ* in COMMVTATIVAM & DISTRIBVTIVAM, de quibus ſigillatim agendum eſt.

CAP.

Capvt VI.

De Commutatiua Iustitia.

COmmutatiua Iustitia, vt vox ipsa demonstrat inde dicta est, quasi commutationem quandam contineat ita, vt ad eiusdem commutationis perfectionem, hæc commutatiua iustitia requiratur. Nam vt diximus, hæc reddit singulis, quæ cuique debẽtur ex quadam inter eos facta commutatione, vt contingit in emptione, & venditione, in qua res cum precio commutatur. Et ideo ad eiusdẽ commutationis perfectionem re ipsa tradita, desideratur conuenti precii solutio; & soluto preciò requiritur eiusdem rei venditæ traditio.

Et quia in commutationibus, vt patet exemplo proximè relato, red-

ditur aliquid alicui singulari personę, propter rem eius quæ accepta est, vt alius tantumdem accipiat, nulla habita ratione personarum cōditionis, cum nihil referat, an probus prauo, an prauus probo detraxerit, sed habito tantum respectu ad rem ipsam, vt fiat adęquatio rei ad rem, videlicet, vt quanto iste plus habet, quam suū sit, de eo, quod est alterius, tandundem restituat ei, cuius est, ideo in hac commutatiua iustitia non accipitur medium secundum proportionē rerum ad personas, vt in distributiua, sed secundum æqualitatem rei ad rem. Et sic *medium commutatiuæ iustitiæ in Arithmetica æqualitate consistit*, quæ attenditur secundum partem quantitatis excessus, sicut quinq; est medium inter sex, & quatuor, quia vnitas excedit, & exceditur. Si

ergo

ergo à principio vterq; habebat quinque, & alter eorum accepit vnum de eo, quod erat alterius; ille qui accepit, habebit ſex, alteri verò relinquentur quatuor: erit itaque iuſtitia ſi vterque reducatur ad medium, vt accipiatur vnum ab eo, qui habet ſex, & detur ei qui habet quatuor, ſic enim vterque eorum habebit quinq; quod eſt medium. Et hoc eſt verum tam in commutationibus voluntariis, quę ſcilicet ex libera hominum voluntatę fiunt, cuiuſmodi ſunt venditiones, locationes, donationes; mutui, commodati, depoſiti, & pignoris dationes, & ſimiles: Quam in commutationibus inuoluntariis, quæ altero inuito fiunt: tum occultis, tum in furto, dum quis rem alterius clàm ſubripit: tum manifeſtis, vt in rapina, dum per violentiam quis rapit. In o-

mnibus enim hisce casibus, & aliis, qui sub commutatione considerari possunt, locum habet commutatiua iustitia, vt quanto quis plus habet quàm suum sit, de eo quod est alterius, tantumdem restituat ei, cuius est: & sic ex vnius lucro, damnum exinde contingens, alteri resarciatur.

Est itaque COMMVTATIVA IVSTITIA *habitus electiuus, vel constans & perpetua voluntas vnicuique tribuendi quod ei ex suo: dato, vel facto, eius habita ratione debetur.*

CAPVT VII.

Inter quos locum habeat commutatiua Iustitia.

LIcet commutatiua iustitia frequentius versetur inter priuatos ad inuicem, & sic inter partes Reipublicæ cadit, tamen aliquando etiã inter Rempublicam & priuatos ciues, quotiescumq; inter eosdem con siderari potest aliqua commutatio, vt puta si priuatus aliquis communitati suæ, vel pecuniam mutuo dederit, vel rem aliquam vendiderit, vel pro mer cede operas suas locauerit, vel quid simile fecerit: in his enim Princeps & Respublica fungitur vice priuati, & ex hac commutatiua iustitia tenetur mutuanti tantundem restituere, vendenti precium, & locanti operas

suas

ſuas, mercedem ſoluere, & alia facere, vt cæteri priuati homines. Immo quod magis eſt, hæc eadem commutatiua iuſtitia ſeruatur aliquando inter priuatos & ipſam Rempublicam etiam dum conſideratur vt Reſpublica eſt, quod contingit, cum aliquis magnum aliquod, & egregium facinus pro Republica geſſerit, & de ea adeò benè meritus ſit, vt eidem premium pro remuneratione ſtatui honeſtum videatur. Hæc enim remuneratio, quæ à Republica fit, etiam erga ſibi ſubiectos ob egregiam nauatam operam, & ita de ſe bene meritos, ex hac commutatiua iuſtitia prouenit; & hæc ſeruanda eſt, quatenus perpendendæ ſunt res geſtæ in gratiam Reipublicę, vt æqualis & ex proportione eiſdem operibus ſtatuatur remuneratio. In hoc enim, vt de ſe

patet, habetur ratio rei ad rem, id est operis pro Republica patrati ad præmium statuendum, licet vt dicemus inferius, quatenus hoc eodem casu debet etiam haberi respectus ad personam benè merentis, distributiua quoque iustitia seruāda sit, & sic mixtura quædam vtriusq; tum commutatiuæ, tum distributiuæ iustitiæ.

Dico vlterius, hanc commutatiuā iustitiam locum habere, vt supra indicaui, etiam quando in tribuendo vnicuiq; ius suum, habenda est ratio partis vt totum, vt si agatur de diuisione lucri, vel damni, alicuius societatis inter plures, pro inæqualibus partibus initæ super aliqua negotiatione: vt quia tota sors vnius, sortem alterius excedat puta in duplo: & rursus, si plures sint socii, sors tertii in aliquo similiter excedat sortem alio-

rum

rum, quia puta vnus quatuor, alius duos, tertius verò vnum tantùm in societate posuerit. Nam lucrum & damnum, ex eadem societate contingens inter eos erit diuidendum, ex hac eadem commutatiua iustitia, cũ habeatur respectus rei ad rem, non ad personam.

Quia tamen hæc diuisio inter eos fieri debet, iuxta proportionem sortis capitalis: vt quantò quis maiorem posuit, tanto maius lucrum & damnum consequatur. Ideo in hoc casu, & in hac distributione, commutatiua iustitia habet effigiem distributiuæ, cum non æqualiter fiat, sed secundum proportionem, & habeatur respectus ad maiorem vel minorem sortem, quam quis habet in eadem societate & communione, quod dicemus seruari & esse proprium distribu

tiuæ iustitię. Cum tamen verisimū
sit hanc distributionem inter socios
disparis sortis capitalis esse propriam,
& meram commutatiuam iustitiam,
non autem distributiuam. Nulla e-
nim hic habetur ratio rei ad personā,
sed tantùm rei ad rem, scilicēt ad ma-
ius vel minus: quare vt inter socios
vera seruetur æqualitas, ipsa commu
tatiua iustitia expostulat, vt inter eos
inæqualis fiat distributio; sic enim fi-
et, vt iuxta sortem capitalem à se po
sitam, commodum, vel incommo-
dum sentiat. Idem omnino dicen-
dum puto, si plures alicuius negoti-
ationis societatem contraxerint, æ-
qualiter vel inæqualiter ab iis capita-
li posito, eorum tamen magis vnu
quàm alius in ea negociatione versa-
tus sit, & maius illi emolumentum
attulerit, quia in diuisione lucri, ve
damn

damni, licet vltra ſortem capitalem debeat haberi reſpectus ad ſociorum perſonam, vt magis induſtrius, & magis in negociatione verſatus plus lucri & plus damni ſentiat, & videatur haberi ratio rei ad perſonam, vt in diſtributiua iuſtitia. Tamen hæc eadem commutatiua attendi debet, quia maior vel minor opera, vel induſtria ſociorum pro re cõſideratur, & pro ſorte capitali reputatur. Et propterea dum operæ, vel induſtriæ eorum habetur ratio, parum refert, an qui plus operatus eſt, ſit probus, vel improbus, nobilis aut vilis, diues vel pauper, qui reſpectus habentur in diſtributiua iuſtitia: ſed ſufficit, ſi, qualiſcumq; ſit, ſocietati ſua opera, vel induſtria plus compendii, & vtilitatis contulerit.

Quod puto verum, non ſolùm

quando ab initio contractæ societatis; opera vel industria vnius ex sociis æstimata fuerit, quo casu certissimũ est, vel augere, vel constituere capitalem, sortem: sed etiam si fuerit simpliciter inita, nec conuentum quanti alerius opera æstimari debeat. Quia adhuc pro capitali sorte, vel eius incremento reputabitur iuxta boni viri arbitrium, cum licet æstimata non sit, sit tamen æstimabilis.

Et idem confirmatur, quia si eodem casu diuisio fieret ex distributiua iustitia, ille, qui pro societate in lucri gratiam plus operatus est, maius lucrum, & minus damnum consequi deberet, si aliquo puta fortuito casu negociatio ipsa iacturã fecisset: quia *hoc est proprium distributiuæ iustitiæ*, vt qui de Republica melius meritis est; plus commodi, & honoris,

& minus

& minus incommodi, & oneris consequatur. Cum tamen societate simpliciter inita, vt supra, certi iuris sit, lucrum, & damnum inuicem ex proportione respondere, vt quis tantum damni sentiat, quantum lucri sensisset, si negociatio superlucrata esset, Nisi aliter expresse sit actum, quo casu lucri & damni diuersitas ex conuentione magis, quàm ex societate prodiret.

CAP.

CAPVT VIII.

De Distributiua Iustitia.

DIstributiua Iustitia, vt facile patet ex ipsius vocis sono, inde dicta est, quia distribuit inter partes quæ sunt communitatis, vt totius. Sed quia totum non influit, nec distribuit vim suam partibus æqualiter, nec æqualiter ab illis idem exigit, sed vtrumq; facit ex proportione magis vni, quam alteri, & magis ab vna quàm ab altera, secundum quod vna vel altera pars habet in eo toto maiorem sortem, vt patet in humano corpore, quod maiorem vim brachio communicat, quàm auri, & plus à brachio exigit, quàm ab aure, quia brachium maiorem, auris minorem in corpore humano partem obtinet. Ideo hæc distributiua Iustitia,

non singulis de vniuersitate idem æqualiter distribuit, nec idem ab iisdem exigit æqualiter in casu indigentiæ, & quo opus sibi visum fuerit: sed vni plus, quàm alteri confert: & ab altero plus, ab altero minus capit, iuxta vniuscuiusq; conditionem, & secũdum quod quisq; in ea communitate maiorem, vel minorem dignitatem & præcipuum ius habet. Quia tamen dignitatem & prærogatiuam non eãdem omnes inquiunt esse, sed Optimates in communitate Aristocratica virtutem, pauci potentes in Oligarchia opulentiam, populares verò in Democratia libertatem. Ideo in Aristocratia plus virtute præditis, in Oligarchia plus diuitibus & Nobilibus, in Democratia plus popularibus tribuitur, quàm cæteris. Et ideo in distributiua iustitia non accipitur me-

dium ſecundum æqualitatem rei ad rem, ſed ſecundũ proportionem rerũ ad perſonas; vt ſicut vna perſona in aliqua communitate excedit aliam, ita etiam res eiuſdem communitatis inter ſingulos diuidenda, quæ datur vni perſonę, debet excedere eam, quę datur alii, vt propterea dixerit Ariſtoteles *medium diſtributiuæ Iuſtitiæ ſecundum Geometricam proportionem conſiſtere*, in qua attenditur æquale non ſecundum quantitatem, ſed ſecundum proportionem, vt ſi dicamus, ſicut ſe habent ſex ad quatuor, ita ſe habent tria ad duo, quia vtrobiq; eſt ſeſquialtera proportio, in qua maior quantitas minorem excedit dimidia ilius. Hæc eadem proproportio obſeruatur in hac diſtributiua iuſtitia, vt non ſingulis idem ſecundum quantitatem diſtribuatur,

ſed ſe-

ſed ſecundum proportionem, & ſecundum maiorem vel minorem in communitate dignitatem & partem. Ita, vt ſi duo, alter ignarus, alter virtute præditus, ſint ciues in aliqua Republica vbi virtus magni fiat, nõ erit, quod redundat, eodem modo & quãtitate inter eos diſtribuendũ, ſed tanto plus vni, quàm alteri dandum erit, quanto ille virtute, & aliis conditionibus alterũ excellit. Ita tamen vt ęqualis proportio in diſtribuendis etiã oneribus, quã in diſtribuendis præmiis adhibeatur; ſẽperq; ab eo plus exigatur, qui ea re magis abũdat, qua Reſpublica opus habet, imponendo puta eruditioribus maiorem curam regendi Rempublicam & eius Magiſtratus, ditioribus grauiorem collectam, vilioribus verò longiores & frequentiores excubias, & alia huius generis.

Ex his igitur IVSTITIA DISTRIBVTIVA *est habitus electiuus, seu constans & perpetua voluntas distribuendi singulis commoda & incommoda ciuitatis iuxta vniuscuiusque in ea conditionem.*

CAP.

CAPVT Vltimum.

De Iustitia mixta ex Commutatiua & Distributiua.

QVia verò prædictus casus est satis frequens, qui versatur circa compensandos bene meritos de Republica & de nobis metipsis; propterea necesse est declarare, quæ ratio in hac re adhibenda, & seruãda sit. Quoniam si duo vel plures viriliter pro patria pugnauerint,& vnus aduersi Ducis, alius priuati militis spolia reportauerit; hi, licet paris conditionis, nõ æquè remunerandi sunt, sed eò magis ille, quò Ducis conditio priuati militis cõditionem magis excedit. Vel si duo æqualiter hostium mœnia primi ascenderint, quorum alter sit Dux, alter verò priuatus miles, remu

neratio, eo maior illi statuenda est, quo Ducis conditio est priuati militis conditione præclarior. Idem omnino dicendum est de priuato quolibet homine amicos suos de se benemeritos remunerari volente, quia gratitudinis ratio expostulat, vt perpensis beneficiis acceptis, ex proportione singulis mercedem tribuat. Id tamẽ descendit ex principiis Cõmutatiuæ, Iustitiæ, cũ habetur ratio rei ad rem, dum beneficium remunerãdum perpenditur. Quia tamen non eodem præmio beneficia rependuntur, sed vel magis vel minus pro eorum magnitudine, vt dictum est; propterea dicitur hoc casu hanc cõmutatiuam iustitiã habere effigiem distributiuę.

Cum igitur in hac præmiorum cõstitutione habeatur ratio rei ad rem, & rei ad personam benemerentis,

quod

quod diximus esse medium distributiuæ iustitiæ, propterea ex vtraq; iustitia mixtim compensatio dicitur emanare; difficillimaq; ab Aristotele reputatur iusta beneficiorum æstimatio & cõpensatio, quia & beneficia æstimanda sunt, & beneficentium qualitates perpendendę, quo casu quisq; sui ipsius meritum & conditionẽ pluris facit, quàm alterius.

Et facta prædictorum iunctione, potest aliquando contingere, vt persona vilis maius conferat beneficiũ, quam dignior, vt si priuatus miles aduersi Ducis spolia, Dux verò priuatĩ militis pugnando reportauerint, & in hoc cõsistit viri prudentis arbitriũ, in statuendo cuiq; præmia & beneficio, & conditioni personæ conuenienter absq; subditorũ querimoniis. Et hæc de Iustitię & Iniustitiæ cognitione.

TRACTATVS TERTIVS.

De Iure Ciuili.

CAPVT I.

De subiecto & forma Iuris ciuilis.

DIXIMVS tractatu primo Ius positiuum esse variabile & imperfectū, sicut illud naturale, quod est commune omni nationi, immutabile, plenum & perfectū; proinde ad omnem perfectionem & felicitatem hominem ducere Legislatores volentes, pro summa illa, quam

à Deo acceperunt, ſapientia, duplices leges compoſuerunt, alias quæ hominem dirigerent ad Deum, alias quæ ad proximi dilectionem; eamq; ob cauſam *ius poſitiuum ſubdiuiſerunt in Canonicum & Ciuile.* Nam ſicut ex duobus componitur homo, ſcilicet materia & forma: ſic duæ ſunt dignitates in Eccleſia militante, ſcilicet *Pontificalis authoritas*, ad dirigendũ hominem in rebus Diuinis; & *Imperialis poteſtas*, ad formandum hominem in rebus humanis & ciuilibus: Et ſic Papa conditor eſt Canonum, & Imperator Legum. Vnde facile patet cauſa efficiens vtriuſq; iuris.

SVBIECTVM verò IVRIS CIVILIS *eſt homo politicus, conſtitutionibus legalibus dirigibilis ſimpliciter in bonum humanum, ad Reipublicæ vtilitatem conſeruandam.* Vnde.

ſtatim

ſtatim patet manifeſtè *cauſa Finalis, conſeruatio videlicet Reipublicæ in vniuerſum.* Nam finis iuris eſt bonos & ſcientes efficere, non metu ſolum pœnarum, verùm etiam exhortatione præmiorum.

CAVSA autem FORMALIS duplex eſt, ſcilicet *forma tractandi* quæ eſt modus agendi, vt definitiuus, diuiſiuus, præceptiuus, prohibitiuus & exemplorum poſitiuus. Et *forma tractatus* quæ conſiſtit in diuiſione librorum totalium in paitiales: & parcialium in titulos, ſeu rubricas: & titulorum in capitula, leges, paragraphos, vel reſponſa, & cætera, vt infra dicetur.

CAPVT

CAPVT II.

De Diuisione Iuris Ciuilis.

VNiuersum Ius Ciuile, seu Imperatorium, quatuor, voluminibus continetur, quæ dicuntur libri legales, vt sunt, *Digestum*, *Codex*, *Instituta*, & *Authenticum*, quibus additur liber *Feudorum*.

DIGESTVM continet in se quinquaginta libros partiales, in tria volumina diuisos, qui omnes continent in se Titulos quadringentos triginta quatuor. Hoc est *Digesti Veteris*.

Primum Volumen seu liber habet Titulos 22.

Secundus	15.
Tertius	6.
Quartus	9.
Quintus	6.

Sextus

Sextus	3.
Septimus	9.
Octauus	6.
Nonus	4.
Decimus	4.
Vndecimus	8.
Duodecimus	7.
Tredecimus	7.
Decimus quartus	6.
Decimus quintus	4.
Decimus ſextus	3.
Decimus ſeptimus	2.
Decimus octauus	7.
Decimus nonus	5.
Vigeſimus	6.
Vigeſimus primus	3.
Vigeſimus ſecundus	6.
Vigeſimus tertius	5.
Vigeſimus quartus	2.
Et ſunt ſimul	155.

In for-

In fortiati.

Primus liber habet Titulos	8.
Secundus	10.
Tertius	10.
Quartus	8.
Quintus	7.
Sextus titulum	1.
Septimus	1.
Octauus	1.
Nonus	10.
Decimus	9.
Vndecimus	3.
Duodecimus	4.
Tredecimus	15.
Decimus quartus	18.
Et sunt simul	105.

Digesti Noui.

Primus liber habet Titulos	6.
Secundus	16.

Terti-

Tertius	11.
Quartus	9.
Quintus	32.
Sextus	7.
Septimus	3.
Octauus	8.
Nonus	23.
Decimus	24.
Vndecimus	18.
Duodecimus	17.
Et ſunt ſimul	174.

CODEX diuiditur in libros par-tiales XII.

Quorum primus habet

Titulos	58.
Secundus	59.
Tertius	43.
Quartus	66.
Quintus	75.
Sextus	61.

Septi-

Septimus	75.
Octauus	59.
Nonus	51.
Decimus	76.
Vndecimus	77.
Duodecimus	64.
Et sunt simul	764.

AVTHENTICORVM siue Nouellarum Constitutionum.

Prima Collatio habet Titulos	6.
Secunda	6.
Tertia	7.
Quarta	7.
Quinta	20.
Sexta	14.
Septima	10.
Octaua	13.
Nona	15.
Et sunt simul	98.

Decima Collatio Authenticorum, siue Nouellarum Constitutionum, aut liber siue vsus Feudorum habet Titulos 87.

INSTITVTIONVM.

Primus liber habet Titulos	26.
Secundus	25.
Tertius	30.
Quartus	18.
Et sunt simul	99.

CAP.

CAPVT III.

De Digestis.

PRimus liber Iuris Ciuilis est Digestum continens in se leges & statuta Romanorum, tribus Voluminibus. Primum Volumen vocatur *Digestum Vetus* quod habet 24. libros partiales. Secundum *Infortiatum* & habet 14. libros partiales. Tertium, *Digestum nouum* quod habet 12. libros partiales. Vocaturq; hoc nomine Digestum, quia omnia decidenda digeruntur & soluuntur. Alio nomine dicitur Pandectæ à Græco nomine πᾶν quod est totum, & participio verbo δέχομαι quod est capio, quasi omnia intra se comprehendens: est enim volumen aliquod omnia vniuersaliter continens.

Eſt autem liber iſte, Digeſtm nuncupatus, collectus ex veteri iure, quod ab vrbe condita, & à temporibus Romuli, vſq; ad tempus Iuſtiniani Imperatoris, ferè per mille annos & trecentos, confuſè ſtatutum fuit: & extẽdebatur in duo penè millia librorum, & decies centena millia verſuum, id eſt paragraphorum vel reſponſorum.

Scribitur verò Digeſtum per duplex ff. contra morem omnium librorum legalium, cum nulla litera f. ponatur in hoc nomine digeſtum, ideò (vt aiunt quidam) quia per duos Imperatores, quorum quiuis Fédericus nominabatur, poſtea maturius ruminatum eſt, & Digeſtum: à quorum Imperatorum quolibet nomine, ſumpta eſt prima litera F.

Infortiatum autem dicitur vulgò

ab in,

ab in, id est valde, & forte, quia multum fortes leges in eo continentur, id est dispositiones vltimarum voluntatum, quæ non debent immutari.

NOTA quod quandò in Digesto veteri, Infortiato, vel Digesto nouo, allegatur aliquis textus, tunc prîmo ponitur nomen libri, non partialis, nec veteris, noui, vel Infortiati, sed Digesti in genere, per duplex ff. postea titulus vel rubrica: deinde apponitur lex illius tituli cum sua determinatione, vel numero sequenti. Et si lex est longa ponitur §. primus, vel secundus, vel responsum primum, vel secundum, &c. exemplum, ff. de damno infecto, l. si finita, §. si quis autem, quod ita abbreuiatum valet ac si dicere velles, in libro digestorum, sub titulo de damno infecto, in lege quæ incipit, Si finita, in §. si quis au-

tem illius legis. Aliud exemplum, ff. ad leg. Rhod. de iac. l. nauis, §. cum autem. id est, Digestis ad legem Rhodiam de iactu, in lege nauis, in paragrapho, autem. & sic de aliis.

CAP.

CAPVT IV.

De Codice.

SEcundus principalis liber Iuris ciuilis dicitur Codex, qui continet ſtatuta, ſanctiones, & diuerſa præcepta Imperatorum: quamuis communiter loquendo, Codex dicatur quilibet liber in ſe habens diuerſos libros partiales. Fuerunt tamen ante tempus Iuſtiniani Imperatoris, tres Codices legum, ſcilicet codex Gregorianus, Hermogenianus, & Theodoſianus, ex quibus Diuus Iuſtinianus fecit fieri vnum codicem, quem ſuo felici nomine intitulauit, & qui nunc vocatur *Codex Iuſtiniani* vt patet in rubrica proœmii huius libri. Et ſcribitur per C. magnum, quæ eſt prima litera huius nominis Codex. Di-

uiditur autem vti supra diximus in 12 libros partiales, sed quorum vltimi tres, longè post primos nouem compositi sunt, & raro leguntur à Doctoribus. In primis autem nouem libris Codicis, allegatur suo modo, sicut & in Digestis, primo ponendo nomẽ libri Codicis, deinde titulum, postea legum, cum suo principio vel numero. Exemplum, C. de præscrip. xxx. vel lx. anni, l. si quis, §. pen. id est in libro Codicis, sub titulo de præscriptionibus xxx. vel xxxx. annorũ, in lege, si quis, in paragrapho penultimo

In vltimis tamen tribus libris, hoc refert, quod in fine allegationis (vt præmissum est) additur numerus libri, vt allegando C. de armorum vsu iuxta principem, l. 1. lib. 10. C. de Muri legulis & Gyneciariis l. &c. lib. 11. Et est magis necessarium quosdã

titulos

titulos plenius scribere, quia sunt in his libris tribus valde rari & inusitati tituli, quia nõ frequentatur in scholis legẽdo, sicut alii libri nouem priores.

Et volunt aliqui dicere, quòd quã do in Codice allegatur, non sit necesse addere l. dicendo sic, C. de iud. l. properandum, sed simpliciter debeat dici, de iudic. properandum, sine hoc addito, lege: nisi esset lex 1. 2. 3. vel penultima, vel antepenultima. Tunc enim oporteret addi, lege prima, secũ da, vel penultima. Sed siue hoc in toto seruatur siue non, non est magna vis.

Item interdum in Codice allegatur Authentica, quæ est antiquo iuri superaddita, & incorporata, vt C. de epis. & cle. Authen. generaliter. id est, ĩn Codice sub titulo de episc. & cler. in Authentica ibi incorporata, quę incipit, Generaliter.

CAPVT V.

De Autentico.

TErtius principalis liber, vocatur Authenticum, in numero singulari: & Authentica Authenticorum in numero plurali. Et sunt Authentica quædam excerpta, quasi summula librorum supra dictorum.

Diuiditur autem iste liber in ix. collationes, quarum quælibet subdiuiditur in titulos: Tituli verò subdiuiduntur non in leges, sed in paragraphos. Et quando ex Authentico allegatur aliquis textus, præmittitur primò nomen libri cum præpositione, in; deinde ponitur titulus, postea subiungitur paragraphus cum ipsius incœptione: & in fine ponitur quota collationis. Quamuis enim collatio

natu-

naturaliter præcedit paragraphũ qui in ea continetur, tamen collatio cum sua quota consueuit vltimò allegari: licet etiam interdum omittatur. Exemplum sumatur sic allegando. in Authen. de lenonibus, §. sancimus, coll. 3. id est, in lobro seu volumine Authenticorum sub titulo de lenonibus, in §. qui incipit, Sancimus, sub collatione 3. Aliud exemplum. in Authen. de trien. & semis. §. consideremus, collat. 3. id est, in Authentico de triente & semisse, in §. consideremus, &c. Et nota differentiam inter Authenticum & Authenticam. Nã Authenticum est liber principalis Voluminis, de quo nunc loquimur. Authentica verò est lex vna vel paragraphus incorporatus in lib. C. & allegatur hoc modo, sicut etiam prædictum est in libro. C. in Authen. mul-

tò magis C. de sac. sanct. eccl. &c.

LIBER FEVDORVM, qui alio nomine dicitur Collatio X. diuiditur in duos libros partiales, quorum quilibet subdiuiditur in titulos, & isti in capitula & paragraphos. Vnde vt exemplariter dicatur, in allegatione huius libri, primò ponitur nomen libri, postea titulus, deinde capitulum & §. vt sic allegando in libro, alias & communius, in vsibus feud. de prohib. feud. alien per Federic. c. 1. §. hac. edictali. Et hoc breuitatum sic intelligitur: id est, in vsibus feudorum (qui liber collatio decima dicitur) sub rubrica de prohibita feudi alienatione per Federicū, in capitulo primo, & paragrapho allegato. Et est necesse apponere per Federicum, ad differentiam alterius tituli in eodem libro de prohib. feud.

alien.

alien. per Lotharium. Poteſt etiam nomen libri vltimo ſubiungi, vt in hoc exemplo. quib.mod.feud. amitt. cap: vnico, §. rurſus, in vſibus feud. id eſt, in rubrica, quibus modis feudum ammittatur, c. vnico, §. rurſus, in vſibus feudorum. Etiam interdum allegatur collatione decima, ſic breuiando. collatio x. quia iſte liber poſt ix. collationes authẽticorum editus eſt. Alia poſſunt accipi exempla multa. De feud. mar. duc. & com. id eſt, de feudo marchiæ, ducatus & comitatus. De inueſ. in man. fac. id eſt, de inueſtitura in mãcum facta. de milit. vaſal, qui contum. eſt, id eſt, de milite vaſallo, qui contumax eſt. Et ita de omnibus aliis extendendo, & abbreuiando rubricas, cum ſubiunctione tamen ca. & § in quo continetur authoritas vel textus allegatus.

CAPVT VI.

De Institutionibus.

QVartus liber principalis dicitur Instituta, vel Institutiones in numero plurali. Et diuiditur in quatuor libros partiales, qui sunt introductorii in alios libros legales; & sub diuiduntur vlterius in titulos, & hi in paragrauphos, non in leges nec in capitula: & paragraphi interdum quando longi sunt in versiculos.

In allegationibus autem huius libri talis modus obseruatur, quod primò liber nominatur, postea rubrica, deinde paragraphus cum versiculo. Exempli gratia. Instit. de iusti. & iur. §.1.id est, in libro Institutionum, sub rubrica de iustitia & iure, in paragrapho primo illius rubricæ. Aliud. Instit. de

ſtit. de iur. nat. gen. & ciui. §. ſed quo ties, id eſt, Inſtitutionibus de iure naturali, gentium, & ciuili, paragrapho allegato.

Et hæc de nominibus, diuiſionibus, & exemplis ipſorum librorum legalium, pro nunc ſufficiant. Vbi tamen *Notandum eſt*, quod quidam liber, *paruum volumẽ* appellatus eſt, continens in ſe aliquos prædictorũ librorum totalium, & aliquos partialium titulos, videlicet Authentica, Vſus feudorum, & tres vltimos libros Codicis, ſcilicet, decimum, vndecimum, & duodecimum qui raro legi conſueuerunt, & titulos habent pleroſque rariſsimos.

TRA.

TRACTATVS QVARTVS.

De Iure Canonico.

CAPVT I.

De subiecto Iuris Canonici, et diuisione eius in libros generales.

IVRIS Canonici subiectum est, bonum commune fidelium directiuum, decisionem singulorum negotiorum continens, rerumq; Ecclesiasticarum vtilitatem conseruans. Vel vt breuius laquamur. *Subiectum Iuris Canonici est homo Catholicus dirigibilis de iure Canonico in bonum humanum atque diuinum.*

Ius autem Canonicum in quatuor libris principalibus nobis eſt traditum: quorum primus vocatur *Decretum*, Secundus *Decretales*, Tertius *Sextus*, & Quartus *Clementinæ*.

Hic primum ſciendum eſt, differentiam eſſe inter Decretum, Canonem, & Decretalem Epiſtolam. Nam *Canon propriè dicitur* ſtatutum in Concilio generali, vel prouinciali, factum authoritate Epiſcoporum: vt de conſec. c. 1. *Decretum verò eſt* ſtatutum, quòd Papa de conſilio Cardinalium, ad nullius tamen conſultationem ſtatuit, & inſcriptis redegit, vt de reſcript. capit. præſenti. Hic autem Decretum ſumitur pro nomine libri, in quo ſanctorum Patrum dicta deſcripta ſunt. Capitur etiam aliter Decretum de rebus eccleſ. non alien. capit. 1. lib. 6. in gloſſa magna, in fine; vbi

ne, vbi ponitur differentia inter decretum, authoritatem, & consensum vel collaudationem iudicis &c. *Decretalis verò epistola dicitur*, quam Papa solus, vel de consilio Cardinalium ad consultationem alicuius rescribit & respondet, vt de rescrip. cap. 1. & glossa 3. §. omnes hę species, dist. 3
Sciendum secundo, quòd indifferenter decreta, Canones, & Decretales; Ius Canonicum nuncupantur, vel Canones, & vnum specie pro reliquo sumitur.
Vocatur etiam Canonica institutio aliquando dogma, quia consistit in doctrina fidei Christianæ. de consecrat. distin. 5. cap. fin. Aliquando mandatum, quia consistit in doctrina de moribus, dist. 54. denique. Aliquando interdictum, quando nulla pœna adiicitur. de conserc. dist. 3.
non

non oportet, & quandoque sanctio, quando pœna additur. 27. quæst. 4. si quis vere. Hic etiam Decretales in plurali numero vtimur pro libro, in quo dicta capitula, quæ etiam Decretales dicuntur, continentur.

CAPVT II.

De Decreto.

PRimum librum IurisCanonici, qui Decretum dicitur composuit Magister Gratianus, Ordinis S. Benedicti professus, non quidem inueniendo, sed dicta sanctorum Patrum in diuersis dispersa voluminibus in vnum volumen debitè & ordinatè colligendo: & hoc circa annum Domini,
93. MCLXXXXIII.

Diuiditur autem hic liber primus Decretum in tres partes principales: quarum *prima vocatur* DISTINCTIONES quia subdiuiditur in partes centum & vnam, quarum quælibet distinctio dicitur. Iste autem distinctiones vlterius subdiuiduntur in canones vel capitula: qui canones in-

terdum propter ipſorum prolixitatẽ ſubdiuidi poſſũt in paragraphos, & paragraphi ipſi ſi longi fuerint in verſiculos. *Secunda pars Decreti nominatur* CAVSÆ, & cõtinet in ſe xxxvi. cauſas, in quas diuiditur, à quibus & nomen accepit; quæ cauſæ ſubdiuiduntur vlterius in quæſtiones, & hæ in canones vel capitula, quæ vltra in paragraphos & verſiculos ſubdiuidi poſſunt, vt de diſtinctione canonum præmiſſum eſt.

Eſt tamen animaduertendũ, quod cauſa trigeſima tertia habet quæſtiones ſex: quarũ quæſtionum tertia nõ diuiditur immediatè in canones vel capitula, ſed ibi interponitur tractatus de pœnitentia, qui continet in ſe diſtinctiones ſeptem, in quas diuiditur: & hæ ſubdiuiduntur in capitula vel canones, & paragraphos vt ſupra dicebatur.

Tertia & vltima pars Decreti nuncupatur DE CONSECRATIONE, & habet in se quinq; distinctiones in quas diuiditur, quarum quælibet in plures sub diuiditur canones vel capitula, & quandoq; in paragraphos vt supra dictum est.

NOTA de prima parte Decreti, quòd in allegando illa syllaba di. vel dis. etiam sola litera d. significat distinctionem, & numerus immediate sequens denotat quotam distinctionis: vltimo ponitur principium canonis vel capituli, in quo authoritas vel allegatio continetur. Exemplum, 8. dist. quo iure. id est, in prima parte Decreti, in distinctione octaua illius partis, in canone, qui incipit, quo iure

In secunda parte Decreti NOTA, quòd per numerum positum ante literam q. datur intelligi quota causæ.

Et sic

Et ſic omnia talia adiectiua numeralia, prima, ſecunda, tertia, quarta &c. vſque äd triceſimam ſeptimam ante literam q. poſita, ſemper includunt hoc ſubſtantiuum cauſa. Nec debet ille numerus excedere 36. quia non ſunt plures cauſæ in ſecunda parte Decreti: & per literam q. intelligitur quæſtio in nominatiuo, vel aliis caſibus, ſecundum exigentiam congruitatis. Communiter autem in ablatiuo allegatur, quæſtione. Vltimo ſubiungitur canon, vel capitulum illius quæſtionis, in quo authoritas allegata quæri debet. Exemplum, 1. q. 1. principatus, & capitulo. cum Paulus; id eſt, in ſecunda parte Decreti, in prima cauſa illius partis, & in prima quęſtione illius primæ cauſæ, in canonibus incipientibus, principatus. & cũ Paulus: Iſto obſeruato, quòd in toto

iure

iure non breuiatur principium canonis, capituli, vel legis: sed semper integrè ponitur, prout in libro cõtinetur.

Quia tamen tractatus de pœnitentia inseritur in quęstione tertia, ipsius causæ tricesimæ tertiæ, vt supra dictũ est; ideo addendũ est semper verbũ hoc, de pœnitentia, in allegãdo sic. de pœ. dis. 1. homicidiorũ & c. homicidiũ. id est, in seunda parte Decreti, in causa xxxiii. in quæstione 3. istius tricesimæ tertiæ causæ, in distinctione prima illius quæstionis, in tractatu de pœnitentia, in canonibus qui incipiunt, Homicidiorum, &c.

In tertia deniq; parte Decreti, hoc modo allegatur, de con. di. 1. nocte sancta, cap. missas. & cap. omnis Christianus. Hoc est, in vltima parte Decreti, quæ intitulatur De consecratione, in prima distinctione illius partis, in

tis, in canonibus qui incipiunt, Nocte sancta, &c. Non debet autem in tertia parte Decreti vltra quintam distinctionem allegari, sicut nec in secunda parte vltra septimam, & in prima parte non vltra centesimam primam; quia nulla partium plures habet distinctiones. Ideo vltra allegans notaretur tanquam imperitus errare.

Et quia in qualibet parte Decreti sunt distinctiones, NOTA differentiam in allegando. Nam quando allegatur distinctio absolutè cum numero, sine addito alterius determinationis; vt dicendo, dist. 3. 4. vel 5. &c. tunc quærendum est in prima parte Decreti, vbi sunt centum & vna distinctiones. Quando autem allegatur distinctio cum addito de pœnitentia, vt sic: de pœnit. dist. 5. 4. &c. tunc quæri debet in secunda parte

Decreti

Decreti, in causa 33. & quæstione tertia illius causæ, vbi ponitur *Tractatus de pœnitentia*, qui habet distinctiones septem. Sed si allegatur distinctio cum addito tali, de Consecratione, vt sic, de consec. dist. 2. vel 3. tunc quæritur in tertia parte Decreti, vbi sunt tantùm quinque distinctiones. nec etiam plures allegabis, aliàs te ostendes Iuris ignarum.

CAP.

CAPVT III.

De Decretalibus.

SEcundus liber iuris Canonici, qui Decretales nominatur, à Gregorio Papa IX. compositus est: qui in vnā compilationem redigi procurauit, per magistrū Raymundum suum capellanum, diuersas decretales epistolas prędecessorum suorum, corrigens & concordans: & hoc circa annum Domini M.C.C.X.X.X.I. Et sic penè annis triginta octo, post compilationem Decreti, Decretales in hanc formam redactæ fuêre. Nam post hoc sub anno Dñi, M C C X L V I. Concilium Lugdunense fuit celebratū, ab Innocentio Papa IV. anno sui Pontificatus 2. in quo multas edidit constitutiones, quas etiam suo tempore su- 1251

per Decretales conſcripſit.

Iſte igitur liber Decretales vocatus, diuiditur in quinq; libros partiales: quorũ quilibet vlterius ſubdiuiditur in multos titulos vel rubricas: & tituli in capitula, capitula in paragraphos, & hi interdum in verſiculos. *Primus autem liber Decretalium*, tractat de perſonis Eccleſiaſticis, & Eccleſiæ miniſtris, deq; eorum officiis, & quomodo tales creandi, aut ordinandi ſunt. Et continet titulos 43. *Secundus liber decretalium eſt*, de iudiciis, & de requiſitis in iudicio. Habetq; titulos 30. *Tertius eſt*, de vita & & honeſtate Clericorum, & rebus eorum, & rebus Eccleſiarum. Et habet titulos 51. *Quartus* de ſponſalibus & matrimoniis, deq; cæteris his annexis. Et continet titulo 21. *Qintus & vltimus* de accuſationibus, & crimi-

nibus, deq; diuersis pœnis pro ipsis infligendis. Et continet titulos 41. Quibus omnibus computatis, totalis liber Decretalium habet titulos, vel rubricas 185.

Allegatur autem ex Decretalibus sic: de sum. Tri. & fi, cat. damnamus. id est; de summa Trinitate & fide Catholica, capitulo Damnamus. Aliud exemplum, de elec. cum in cunctis, id est, in libro Decretalium, sub titulo de electione, in capitulo quod incipit, Cum in cunctis, & ita de aliis.

Capvt IV.

De Sexto.

TErtium librum Iuris Canonici, qui Sextus appellatur, cōposuit Bonifacius Papa VIII. in quo Decretales epistolas suorum Prædecessorum, videlicet Gregorii X. Innocentii IV. Clementis IV. & aliorum cū suiis propriis epistolis recollegit in vnum librum, quem Sextum appellauit: nō sic quòd ille cum alliis quinq; partialibus libris Decretalium in vnū volumen Sextus connumeretur, sed quia liber est specialis post dictos quinq; editus, supplens defectum diuersorum casuum emergentium, in aliis non cōprehensorum. Et sunt promulgatę cōstitutiones libri Sexti, āno à natiuitate Dñi MCCLXXXXVIII.

Nonis

Nonis Martii, Pontificatus Bonifacii Papæ VIII. anno 4.

Diuiditur autem Sextus eodē modo, in quinq; libros partiales, ficut & Decretales; & quilibet horum librorum in titulos, & hi per capitula & paragraphos, vt fupra. Quamuis in Sexto non fint tot tituli ficut in Decretalibus, nec tot capitula in titulis: fed vbi deficit aliquid nō plenè decifum in Decretalibus, id ponitur in Sexto.

Et fciendum quod in fexto allegatur eodem modo, vt in decretalibus, hoc folum mutato, quod in Sexto allegando femper in fine additur lib.vi. propter differentiam librorum, quia omnes rubricæ Sexti funt etiam in Decretalibus. Debet ergo ad rubricam poft capitulum addi libro fexto, vt Sciatur effe in Sexto, alias ex omifsione hu-

ius additionis cõtingeret errare. Exẽplum, de Constit. vt animarum, libro sexto. & de rescrip. statutum, §. cum verò ver. nullus, lib. eo. Hoc est in libro Sexto, sub titulo de consuetudinibus, in capitulo quod incipit, vt animarum. Et sub titulo de rescriptis, in capitulo quod incipit, Statutũ, in paragrapho illius capituli, qui incipit, cum verò, in versiculo, nullus, libro eodem.

CAP.

CAPVT V.

De Clementinis.

QVartum librum Iuris Canonici, qui *Clementinæ* dicitur, ſub audiendo *Conſtitutiones*, incæpit & edidit Clemens Papa V. ſub anno Dñi, MCCCX. in Concilio Viennenſi, quod ſed menſibus durauit, ſed ipſe Clemens morte præuentus, ad publicum non perduxit. Cæterum Ioã. Papa XXII. poſt eum compleuit, correxit, in quibuſdam mutauit, & executioni demandauit. Quæ conſtitutiones ita collectæ dicuntur Clementinæ, à Clemente V. & fuerunt promulgatæ anno Domini MCCCVI. 4. Kalen. Nouembris.

Et diuiduntur Clementinæ, eodẽ modo in q̃inq; libros, iuxa materiã

istius versus. *Iudex, iudicium, clerus, sponsalia, crimen.* de qua tractant, sicut Decretales, & Sextus; licet pauciores cõtineant titulos, & tituli pauciora capitula, in quos, & quæ, rursũ diuiduntur. Vbi sic allegatur. de hæret. ad nostrum in Clemen. id est, in constitutionibus Clementinis, sub titulo de hæreticis & Manichæis, in capitulo quod incipit, Ad nostrum. Aliud exẽplum. de reliq. & vene. sanct. si dominum, in Clemen. id est, de reliquiis & veneratione sanctorum, in capitulo, si dominum, in Clementinis. & sic de aliis. Nam hic allegatur per omnia sicut in Decretalibus, solùm eo dempto, quòd additur hic in Clemẽ. sicut in Sexto, additur libro Sexto, propter rationem ibi dictam.

Ex his autẽ supradictis Iuris Canonici libris, ad imitationẽ Institut: Iustini

ani, fecit mandato Pii V. Pont. Max. *Institutiones Iuris Canonici*, Ioannes Paulus Lancelottus Perusinus, quæ passim doctissimorum virorum manibus teruntur, & in Academia Cracouiensi, quolibet semestri studiosæ iuuentuti, publicè præleguntur.

Et hæc de quatuor libris principalibus Iuris Canonici, & allegationibus eorum, ad omnipotentis Dei laudem, & Iuris vtriusque alumnorum instructionem, dixisse sufficiant.

*

INDEX CAPITVLORVM.

Tractatus Primus.

De Iure in Genere.

Tractatus Secundus.

De Iustitia & Iniustitia.

Cap. 2.

Tractatus Tertius.
De Iure Ciuili.

Tracta-

INDEX.

Tractatus Quartus.

De Iure Canonico.

FINIS.